archivo ecclesiae brachium S. Annae, matris b. Mariae Virginis argento venerabiliter inclusum. Protulit et unum clavum similiter argento ab inferiori immissum, quem dixit esse unum de clavis Christi, quo cruci confixus extitit. Has reliquias deosculati sumus, et clenodia nostra eisdem applicavimus ad contactum, ut dixi fol. 36. A. Didici autem, quod clericus ille erat monachus, quod tamen habitu cognoscere non potui, quia toga de schamlotta opertus erat, et fuit ambarum ecclesiarum plebanus, graecae et latinae, et per omnia se regebat secundum utrumque ritum. Nam dominicis diebus celebrabat primo Missam in ecclesia latina, et conficiebat more occidentalium in azymo. Illo officio finito transibat ad ecclesiam graecam, et more orientalium conficiebat in fermentato. Hoc mihi plurimum displicuit, et judicavi sacerdotem illum haereticum pessimum, seducentem populum hinc et illinc. Sunt enim illi duo ritus incompatibiles in una persona, et vix compati se possunt in una civitate, propter difformitatem in multis gravibus et magnis articulis. Ecclesia romana toleravit quidem olim ritum Graecorum, et tamen nec tunc licuit esse Graecum et Latinum simul, multo minus nunc, cum eos ecclesia tanquam schismaticos et haereticos condemnet, et ipsi Graeci nos in suis officiis vitent, et omnibus dominicis diebus ecclesiam latinam excommunicatam pronunciant suo populo, et nos Latinos usque ad exterminium odio habent. Quomodo ergo potest vir probus et bonus catholicus esse plebanus latinus et graecus? Nemo hoc agit nisi qui cupiditati et voluptati satisfacere (B) intendit. Tales enim ea, quae in utroque sacerdotio ad voluptatem pertinent, acceptant: onerosa vero et dura tam hic quam illic respuunt. Multi namque sacerdotes latini ad ritum graecum se transferunt, ut uxores ducere audeant, sed cum hoc libertatibus latinorum sacerdotum gaudere volunt, quae tamen eorum non sunt etc. Igitur cum solis ardores mitescere inciperent, meridie transacta bestias nostras ascendimus, et contra mare descendimus usque ad ecclesiam S. Lazari, quae supra maris litus stat: et galêa nostra ex opposito ejus longe in mari; ibique bestias dominis suis remisimus. Erat autem super litus maris magnum forum et hominum multorum congregatio propter galêam nostram,

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;